

rationibus, ut ad sumptus belli asperrimi saevissimique nihil defuturum umquam esse posse videatur, innocentem hunc principem Carolum Caesarem nullis non artibus oppugnari, nam et integritatem serenissimi Angliae regis et reverendissimi cardinalis Eboracensis largitionibus italicis pertractari Gallis abiectam iam spem restitui virium recuperandorum regnum Neapolis, Haste sectionique subiici, iam non de bello cogitari, sed ante victoriam nihil non in partes datum esse, et tam insignis huius tragediae antesignanum inventum esse qui se profiteatur Clementem VII, quando umquam magis periclitatam esse rem christianam, partim domesticis opinionibus, partim externo hoste potentissimo saevissimoque, et tamen velut haec pastorem gregis christiani non concernerit, nil aliud quam de alendis intestinis inter principes discordiis cogitare. Cum haec es perpensurus, vitio sane non reorte Carolo Caesari daturum quod iustitia fretus unus ille suum omnibus sua positum esse, quam illis virium in tot armatis triremibus equitibusque simul illud facile intelliges, Clementino huic foederi universali minime esse licere, neque sanctissimum fortasse aequo iure dici, nisi ab auctore posse arbitraberis. Vale.

308 *Capitula foederis inter Romanum Pontificem Clementem VII, Regem Francorum, illustrissimum Dominium Venetiarum, ducem Franciscum Sforciam Mediolani, ac excel-sam rempublicam Florentinam.*

(Il seguente documento fu collazionato con l'originale esistente sotto il Num. 817 « Patti sciolti » nell'Archivio di Stato in Venezia, ed occupa nel manoscritto del Sanudo le carte da 308 a 315).

Cum multos iam annos diuturnis et continuis bellis vexata Respublica christiana tam fracta ac debilitata conspiciatur, ut nisi Omnipotentis Dei aspirante clementia et remedium aliquod salutare brevi adhibeatur, quo et tot saevissimis bellis imponatur finis, et respublica ipsa pacata tandem aliquantisper respirare valeat, non longe abesse a summo periculo sit iam omnibus perspectissimum, cum praesertim non ex uno confecto bello quasi absumpta incendii materia malis finem imponi, sed potius bellum ex bello ymo ex uno plura suboriri flammamque magis ac magis invalescere videamus. Quod perpendens atque animo revolvens Sanctis-

simus Dominus Noster Clemens Septimus pontifex maximus ac pastor vigilantissimus, nihil praetermittere ac omnia experiri decrevit quo reipublicae christianae saluti et securitati consulere, veramque et stabilem pacem inter principes christianos constitueret, nihilque ab eo praetermissum est ut eam rem tam salutiferam tam necessariam ad optatum perduceret finem. Cum autem multa frustra tentasset, tandem certior factus Serenissimum ac potentissimum principem Franciscum Francorum regem Christianissimum a captivitate, qua ab Imperatore detinebatur, liberatum fuisse, magnificum virum Capinum de Capo equitem auratum eius nuncium ad eum destinavit, non modo ut ob pristinam libertatem recuperatam sibi congratularetur, verum etiam ut de pace universali inter christianos principes componenda ageretur; quod ut brevius assequeretur, generale ac speciale mandatum praefato suo nuncio dedit, cuius quidem tenor in finem praesentis capitulationis inseretur ut huius medio super dicta pace universali vel particulari pactiones, capitula, tractatus et conclusiones necessariae fierent. Quod animadvertentes illustrissimus Venetiarum Dux Andreas Gritti inclitumque Venetorum Dominium, nec non illustrissimus princeps Franciscus Sforcia Mediolani dux pacis istius percipidi attendentesque quot commoda ex illa orientur, praedicti etiam Summi Pontificis exemplo ducti, magnificum virum Andream Rubeum Illustrissimi ipsius Ducis inclitique Venetiarum Domini secretarium eorum nuncium cum potestate sufficienti, cuius etiam tenor in fine praesentis capitulationis inseretur, ad eundem Christianissimum destinarunt ad eos fines eademque de causa qua summus Pontifex. Quibus tandem per Christianissimum Regem auditis, qui christianitatis pacem universalem tanti semper fecit, ut eam modis omnibus quibus potuit assidue perquisierit nullis parcens laboribus aut impensis. Quo factum est ut laeto, facili ac prompto animo rem hanc per dictos nuncios sibi tam facile persuasam habuerit, ut continuo procuratores generales ac speciales constituerit in mandato inferius inserto nominatos, quorum quidem potestas in fine praesentis capitulationis pariter inseretur super iamdicta capitulatione facienda. Omnibus demum rebus rite et recte consideratis, praefati nuntii et procuratores pro et nomine Sanctissimi Domini nostri Papae, Christianissimi francorum Regis, illustrissimi Ducis inclitique Venetorum Domini, nec non illustrissimi Mediolani ducis pacis tractatum inierunt et concluserunt etiam pro